


390838 I

390838

kat komp.

Mag. St. Dr.

opaliwanie



CONCLUSIONES
THEOLOGICÆ
DOGMATICO SCHOLASTICÆ

Ex Tractatibus de Deo Creatore Angelo-
rum, Opere sex dierum, Beatitudine
& Actibus Humanis.

Juxta mentem Angelici Præceptoris, Quinti
Ecclesiæ Doctoris ordinatæ. Varsaviæ ad Ædes
Sanctissimi Spiritûs, Ordinis Monacho-
rum S. Pauli primi Eremitæ.

PUBLICIS DISPUTATIONIBUS
EXPOSITÆ.




Anno Domini 1777. Mense Junio.

1
INCARNATÆ SAPIENTIÆ
SECUNDÆ & TRINITATE DIVINA PERSONÆ
V E R B O
ÆTERNO PATRIS ANTE SÆCULA
CONCEPTO INTELLECTU,
NEQUE SUO GENITORE POSTERIORI,
UNAM HABENTI CUM GENERANTE
ESSENTIAM,
UNAM VIRTUTEM
UNAMQUE OMNIPOTENTIAM.
CUJUS NATURA BONITAS,
CUJUS AMPLITUDO IMMENSITAS.
CANDORI LUCIS ÆTERNÆ,
IMAGINI QUAM ABSOLUTISSIMÆ SANCTITATIS,
FONTI BONORUM OMNIUM INEXHAURIBILI,
ADORANDÆ OMNIPOTENTIÆ
INCOMPREHENSÆ MAJESTATI
DICATÆ.

Bibl. Jag.

106430

10.2.571



I. **D**ari Angelos scilicet substantias Spirituales medias inter Deum & animas humanas, de Fide est.

II. Conceptus Spiritualitatis eis competit, ita ut omnem materiæ Physicæ etiam subtilissimam admixtionem prorsus excludat.

III. Uno tempore cum Mundo corporeo conditos fuisse probabilius est.

IV. Cognoscunt seu intelligunt se ipsos per propriam Substantiam, velut Speciem impressam intelligibilem.

V. Nihilominus ad cognitionem distinctorum à se Objectorum indigent speciebus superadditis.

VI. Quas tamen non à rebus accipiunt, sed à Deo in primo Creationis instanti infusas habent.

VII. Pariter secreta cordium, cogitationes mentium, & affectiones voluntatum seclusa revelatione, vel libera manifestatione, certo cognoscere non valent.

VIII. In instanti Creationis acceperunt gratiam, & quidem per propriam dispositionem.

IX. In ipso primo instanti Creationis, absolute peccare non poterant, & quod si in hypothese peccassent, peccatum in Deum specialiter redundasset.

X. Pæna intrinseca Angelorum damnatorum est obstinatio, quæ radicaliter provenit ab inflexibilitate arbitrii, ita ut Angelus immobiliter adhæreat Objecto, quod cum plena deliberatione elegerit.

XI. Pæna vero extrinseca provenit ab igne infernali, ut instrumento Dei, alligante potentias & causante qualitatem Spiritualem impeditivam ne operentur id, tunc, & quomodo vellent, simulque excitativam ad perpetuam considerationem ejusmodi alligationis.

XII. Utraque pæna hæc damnatorum, est verè æterna, & nunquam habitura finem.

XIII. Solus Deus & unicus est causa omnium rerum per Creationem.

XIV. Quamvis sententia Divi Augustini ad unum diem naturalem opus Creationis restringens, erroris damnanda non sit, interim expositio aliorum de sex diebus naturalibus Scripturæ conformior videtur.

XV. Erroneum est in Systemate Præadamitico negare Adamum fuisse primum simpliciter hominem.

XVI. Imago Dei Triunius est proprie in anima solum juxta quod fertur vel nata est ferri in Deum notitia & amore.

XVII. Beatitudo objectiva Creaturæ rationalis, est solus Deus sine consortio Creaturæ.

XVIII.

XVIII. Prima Beatitudinis formalis actio est visio, proindeque in illa Beatitudo formalis essentialiter consistit.

XIX. Beati necessario amant Deum etiam quo ad exercitium, nec possunt pro libitu ab amore cessare.

XX. Non potest dari pura omisso voluntaria & culpabilis in individuo, quæ sit sine omni actu voluntatis tanquam causa & occasione talis omissionis.

XXI. Homo non tantum in statu innocentiae fuit liber libertate indifferentiae, sed etiam defacto est talis.

XXII. Actus humani bonitatem vel malitiam moralem essentialem desumunt ab objecto, quam moralitatem, desumunt etiam à fine extrinseco operantis modo essentialem modo accidentalem.

XXIII. Dantur actus humani indifferentes ad bonum scilicet vel malum in specie.

XXIV. Non tamen dantur indifferentes in individuo.

E X T R A C T A T U

D E

AUGUSTISSIMO INCARNATI VERBI

M Y S T E R I O.

I. **I**ncarnatio Verbi Divini est possibilis.

II.

II. Verum non potest lumine naturali ,
aut evidenter positive cognosci ejus possi-
bilitas.

III. Jamque existit Incarnatio , quia
Messias à Prophetis desideratus , à Judæis
expectatus pridem advenit.

IV. Et conveniens fuit Deo , Incarnari.

V. Porro naturæ humanæ Incarnatio fu-
it conveniens convenientiâ utilitatis.

VI. Nihilominus convenientius fuit ,
Verbum incarnari , quam Patrem aut Spi-
ritum Sanctum.

VII. Incarnatio quidem non fuit sim-
pliciter necessaria ad reparationem generis
humani.

VIII. Sed supposito , quod Deus non
voluerit alio modo hominem liberare , ni-
si exigendo ab eo satisfactionem talem , quæ
condigna sit ac æqualis , & homo purus
etiam gratiis ornatus Deo satisfacere ad
æqualitatem perfectam , sive de condigno
non potuisset pro peccato.

IX. Satisfactio vero Christi Domini ex
suo valore intrinseco fuit sufficiens pro
omnibus peccatis humani generis.

X. Quinimo etiam superabundans & ex-
cedens.

XI. Estque valoris personalis simpliciter
infiniti in genere moris.

XII. Insuper fuit ex toto rigore ju-
stitiæ.

XIII.

XIII. Si Adam non peccasset Christus vi præsentis Decreti non venisset.

XIV. Nec humanitas Christi per absolutam quoque potentiam Dei potuit mereri sive de condigno, sive de congruo Incarnationem.

XV. Beata virgo potuit de congruo mereri quod esset Mater Christi Domini, non tamen de condigno.

XVI. At antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem & quantum ad substantiam, & quantum ad accelerationem aliasque circumstantias.

XVII. Unio Verbi cum humanitate facta est in persona atque adeo in Christo non sunt duæ personæ, aut natura humana & Divina in eadem Persona Verbi subsistunt.

XVIII. Etiam in Christo post unionem duæ sunt naturæ integræ, distinctæ, inconfusæ, Divina scilicet & humana, sicve Unio Verbi cum humanitate non est facta in natura.

XIX. Porrò Persona Christi est verè & propriè composita tum ex natura Divina, & humana, tum ex subsistentia Verbi & humanitate.

XX. Neque negari potest in Christo vera & realis idiomatum communicatio: unde hæ propositiones sunt veræ & propriæ *Deus est homo, homo est Deus*, non solum veritate terminorum, sed etiam veritate prædicationis.

XXI. Verbum assumpsit veram Carnem, verum Corpus, veram non phantasticam humanitatem.

XXII. Et non attulit è Cælo, sed ex Maria Virgine accepit.



XXIII. Quæ tam in partu, quam etiam post partum fuit & permansit Virgo.

XXIV. Afferendum quoque de fide Verbum Divinum assumpsisse humanam voluntatem; proinde in Christo fuit non una tantum sed duplex voluntas Divina & humana, non una tantum, sed duplex operatio.

XXV. Neque Honorius I. Papa in suis ad Sergium datis Epistolis, adhæsit Monothelitis cum non tenuerit, aut docuerit errorem unius voluntatis & operationis in Christo.

AD MAJOREM DEI GLORIAM B. V. M.

Honorem S.S. P.P. Cultum &
Venerationem.



Biblioteka Jagiellońska



str:0026615

